mum etiam ab ijsdem compararat in castro Wartberge, cum consensu *Baldewini* Episcopi Paderbornensis, (cui jus patronatûs succesſoribusq; ejus obtulit,) nec non Decani & Capituli Eccl. Paderbornen. & *Ioannis* Rectoris eccleſiæ *S. Andreæ*, qui mediam oblationum partem percipiet, ceu habent tabulæ.

Num. XVI. Abbatem Corbejenſem] *Drutmarum.* Vide quæ dixi *pag. 366.* Obijt an. 1046, ut *Lamb. Schafnab.*

Num. XVII. Viſuri eſtis homines.] *Clara & celebris valde his temporibus per Gallias erat memoria ſancti Seboldi in Nurnberg, & ſancti Hemerad in Haſengun, & magno populorum concurſu cotidie frequentabantur propter opitulationes, quæ divinitus illic laborantibus ſæpenumero conferebantur,* Lamb. Schafnab. ad annum 1072.

Num. XX. Villa Elheno] Videtur eſſe *Elenen*, locus memoratus à *Lamb. Schafnab. ad an. 1875.*

Num. XXII. Quarto Kal. Julij.] *Hemered Monachus in vigilia S. Petri obijt, & ſtatim multas virtutes Dominus per eum operatus eſt*, ut habent vetuſti Corbejenſiũ Annal. *ad an. MXIX*; Trithem. quoq; Chro. Hirſaug. in *S. Wilhelmo* Abbate XII, *S. Heimeradi* obitum refert ad an. 1019, & 4 Kal. Julij. Adde Chron. Stederburgenſe, & W. Dilich in Chron. Haſſiæ ad an. 1019, Acta *B. Meinwerci* num. LXI. pag. 105. Agunt etiam de *S. Heimerado* ad *28 diem Junij*, Caniſius, Molanus &c.

Num. XXVIII. Meginfridum.] Is *Meginfridus Præfectus Magedaburgenſis* pro libertate patriæ ſtrenuè